

# Die Urkunden der Burgundischen Rudolfinger, 147,II

In nomine dei omnipotentis. Burcardus ecclesie Lugdunensis archiepiscopus et abbacie almi Mauricii prepositus. Notum sit omnibus sancte Agauni abbacie filiis, qualiter Goslinus nostram supplex aggressus est clemenciam petens, ut sibi quandam terram sancti Mauricii per huius prestatie paginam concederemus. Cuius petitioni aures accomodantes, laudante serenissimo seniore nostro rege Rodulfo nec non et confirmantibus fratribus qui describuntur inferius, donamus ipsi et uxori eius Hermentrude eorumque heredibus supra scriptam terram infra commitatum Uualdensem coniacentem, hoc est mansa duo cum suis pertinenciis omnibus, sita in loco qui dicitur Scor, accipientes de eius hereditate in villa que dicitur Castellum lunaticum unum et in loco qui vocatur Burgondia lunaticum I cum suis proprietatibus, sub redibicione census XII denariorum, hac igitur racione, ut liberam potestatem habeat tam ipse quam supra dicta eius uxor atque heredes ibi construendi quitquid eorum decreverit animus, iam dicto tamen censu annuatim in festivitate sancti Mauricii concesso aut posito super altare ipsius aut consignato preposito, qui tunc temporis prelibate abbacie prefuerit; sicque hec prestatia maneat firma. Verum ut hoc credatur melius, presentem paginam firmavimus fratribusque ad firmandum contulimus.

Burcardus archiepiscopus et abbacie sancti Mauricii prepositus hanc prestatiam firmavi et firmare feci.

Anselmus predicte abbacie patronus et rector hanc prestatiam firmavi. Addebertus diaconus. Suzo diaconus. Belnardus diaconus. Arelmus diaconus. Amizo sacerdos. Laudo presbiter. Ingelbertus presbiter. Vuitkerius presbiter. Vuilimarus presbiter. Ledbertus presbiter. Gunzo presbiter. Sicardus subdiaconus. Petrus clericus. Omnes hii canonici sancti Mauricii presentem prestatiam firmaverunt atque laudaverunt.

Ego in dei nomine Amizo diaconus sanctique Mauricii canonicus hanc prestatiam firmans scripsi anno dominice incarnationis M, regni vero regis Rodulfi VII, octavo pentecostes; acta in Agauno; feliciter.